35 3 A 23 3
15

PANEGYRICUS

In Provinciali celebritate

NATALIS

Sereniſſimi Archiducis

LEOPOLDI

Montifuſculi habitus

A VINCENTIO CUTILLO

Patritio Beneventano in Regio Conventu juridico Principatus ulterioris Pauperum Patrono.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

4

NEAPOLI MDCCXVI.
Apud Dominicum Ant. Parrino.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

QUod unum omnes avebant, expoſcebant tempora, fata ſpoponderant, quodque fęlix, fauſtumque ſit, ingens illud orbis terrarum columen, clementiæ, & pietatis ſpecimen, genus nempè inclytum AUSTRIACORUM, in quo ſpes, ſalus, otium, atque incolumitas univerſorum dudum repoſita, fortunæ culmina jam prætervectum perennitatis aliquando aditus patefecit Sereniſſimo Archiduce LEOPOLDO in lucem emiſſo. Quonammodo, Auditores, aut cuinam potiſſimum pro tanto, cælitus collato munere gratulabimur? Nato ne Principi? Auguſtiſſimis? Anne Reipublicæ? Quod enim illuſtre magis vivendi exordium, non dicam contingere, ſed augurari cuiquam fas erat? Lætis omnibus communi univerſi hominum generis

Digitized by Google

voto, jamdiù exoptatum, incredibili gaudio, veneratione quam maxima, ſummo amore omnium ordinum, ætatis, ſexus, exceptum veniſſe in Imperialem domum, ac tot per ſæcula regnatricem, quam plurimis refectam coronis, innumerabilibus exornatam triumphis, ad immenſas opes, excelſam majorum gloriam, perampla in regna, eademque avita, & vetuſta, nulliſvè injuriis conquiſita; cæli temperie, rerumque copia, multitudine gentium ac nobilitate, clariſſimarum urbium frequentia, armorum ſtudiis, literarumque artibus celeberrima. Quid vero fælicius, aut auſpicatius evenire optimis progenitoribus? Habent en magnum, certiſſimumque pignus Divinæ munificentiæ, & humani affectus ſolatium ingens; quo ſubjectorum arctius obſequia vinciant, ſe ſeque illis clementius inclinent. Ac ſi magna hujuſque voluptas fuit geſtorum famam, atque memoriam æternitati conſecraviſſe; quanto major erit profecto ſe ipſos, veluti per manus tradendo poſteris,
æterna-
Digitized by Google

æternare? Quæque à Majoribus acceperunt, paravere ſibi ipſi decora, & ornamenta non ſervaturo tantum, ſed & exacturo concredere? Vellem equidem poſſe communem hanc, ſecundamque ſortem Summorum Principum verbis attingere, quorum vel nomine, fauſtaque commemoratione veſtrum omnium aures, corda, animos ſcirem dulcedine, atque alacritate compleri; verum enim vero tam altè evexerunt eos gloria, & majeſtas, tam longè à cæteris collocaverunt, ut hebetata, ac fracta vis mentis, celſa adeo petere reformidet. Unum id ſupereſt pro facultate, ac modulo tenuitatis noſtræ nos alloqui, & congratulari nobiſcum; nec tamen puto fore operæ conari hanc magis, & urgere lætitiam, ſed carptim aliqua, ac timidè, ut decet, arripere queis eam morer potius, quam relaxem: Multo enim majus eſt gaudium, quam quod univerſum excipi, aut ferri poſſit. Et licet non in præſens modo, ſed in æternum nobis, noſtriſque, immortali hoc Dei beneficio lætandum erit, ma-

 jorem

jorem imo ejus partem poſteri, futuraque ſæcula ſibi vindicent, nec minorem ipſi antea ſpe prelibavimus; ut tamen veluti ex fontibus lætitia erupit, tantaque mole, ut non brevi ſane, & anguſto pectorum ſpatio, ſed neque amplitudine ipſa animorum ſatis coercita, haud ſecus, quam aſtro quodam correptos agitat cunctos, cogitque plaudere. Non ætate feſti, vel morbo, preſſique pauperie reſtant, quin malorum obliti, exutique curis, exultent: Non matronale decus, aut pudor, nec ſeverioris lex diſciplinæ prohibet nuptas, innuptaſque à cætu, & frequentia. Intermixti, viri mulieribus, ſummis imi, nulloque ſortis, aut vultus diſcrimine, læti ac gratulabundi, ad templa concurrunt. Cum enim intelligant, nil eſſe omnino ſub Principatu optimo exoptandum præter diuturnitatem, ipſamque aſſecutos autument, pro ſalute unius, funduntur cunctorum preces, palmæ attolluntur; Nam quamvis nemo excors fuerit, quin intelligeret nullo unquam tempore in orbe hanc domum, in

domo

domo imperia , in imperiis gloriam deſiderandam, raritate ipſa decus augeri, convenire maximè majeſtati expectationem, votaque populorum, lætumque omen prolis animis inſideret, magnitudo rei tamen, atque deſiderii torquebat omnes. Qui nunc demum ſpei compotes, gaudenteſque illo ipſo augurio, ex recordatione quoque præteriti temporis, magnam ſanè percipiunt voluptatem; Cunctæ autem, quæ reliquæ ſunt Europæ gentes, cæterique Reges, ac Principes, magno æquè gaudio perfunduntur lætiſſimiſque intuentur oculis, illam perennari familiam, cui univerſi totiens, ſtudio, & conſenſu unanimi non ſine divini numinis inſtinctu Mundi curationem, rerumque omnium regimen conceſſerunt; Cujus nulli unquam fuit damnoſa potentia, ſuſpecta virtus, aut gloria inviſa, ſervavit etenim, quod difficillimum, in poteſtate ſumma, ac diutina, æquabilitatem, in fælicitate modum, ubique clementiam nomen gentile, decuſque domeſticum AUSTRIACORUM. Quis

Digitized by Google

eam non amare poterit? non venerari? non æternam cupere, & immortalem? quæ tot per annos, tantisque viciſſitudinibus dominata, nil ſibi aſcivit ex imperio præter labores, nulloque exemplo, aut imitatione privatis opibus, ſua amplitudine culmen id ingens, univerſamque Rempublicam exornavit, tutamque reddidit, & tranquillam.

Infenſiſſimum hoſtem, & ferociſſimum, cujus vim nullæ gentes quamvis bellicoſæ, & præclaræ pugnandi gloria ſubſtinuerunt, virtutis propriæ objectu, fortitudine egregia, atque multitudine ſubjectorum adeo repreſſit, fregit, debilitavit, ut qui inundantis Oceani more cuncta obruebat, quique incredibili, ac multiplici curſu victoriarum Gades jam, & Atlanticum meditabatur, is ubi ad Auſtriacos acceſſit limites, celſis veluti, ac duris colliſus ſcopulis detumeſcens aliquando tandem agnovit, & vinci poſſe, & debere ſibi, ſuisque cavere, multis jam ſæculis per adverſa martis pericula edoctus ab hac una domo

Otho-

Othomannis fata imminere , atque ob id maximè in ea fuiſſe terrarum parte collocatam , atque adeo opportunè , nullo ut humano ingenio , nec conſenſu omnium gentium potuiſſet, vel digniori uſquam loco , vel opportuniori ſedes conſtitui univerſi orbis rectori .

Eſt enim , quod omnes norunt , in ſuperiori Germaniæ regione primiſque ordinibus , lato , ac munito ſui Regni limite ut vallo in Turcas oppoſito . Italia hinc , atque Galliæ , genteſque Inalpinæ , Daci , inde , & Sarmatæ ; unde & inimicis reſiſtere , & ſuis præeſſe , & cavere ſociis poſſet , adverſis occurrere , ſecundis uti , potentiſſimasque provincias , ac nationes , aut commotas ſedaret , aut foveret pacatas , cumque in humana omni fælicitate naturæ vitio , vel iniquitate quadam fortunæ uſque irrepat timor, ſubeatque animos trepidatio ; ab hac tamen , ut intelligatur , nil unquam fælicius cecidiſſe , omnis omnino abeſt longius pavor , nec quiſquam anxius qualis ne Princeps , aut cuinam

ſimillimus ſit futurus ; ſunt etenim Auſtriacæ domus duo hæc gentilia, nullique communia, decus nempe idem, majeſtatemque oris omnes exprimere, virtutem animi eandem, pietatemque, referre, vultuque, ac moribus aſſimilari, nec quem degenerem poſſe inveniri; novo id exemplo, domeſticoque miraculo; namque, ut præteream quam rarum ſit diu optimos optimis continuari, quam frequens autem, & conſuetum Majorum laudes peſſundare, & labefactam; nonne Mundi elementa, Cælique ipſi, ac Sydera quamvis certa, & immota naturæ lege circumferantur, tamen nunc placidos, ſalubresque mortalibus cient affluxus malignam, modò vim terris affundunt. In tam vero admiranda æquabilitate gloriæ, & virtutum, aptos temporibus, & ad unamquamque Reipublicæ ſortem, velut appoſite effictos fuiſſe hos Principes memoratur; Pacato orbe artibus pacis, commoto autem bellica laude præcellentes, atque in hoc ipſo rerum diſcrimine, aperto ubi Marte

opus

opus fuit, fortitudine, maturatione, audacia, labore, fortiſſimos, atque pugnaciſſimos: Difficillima, atque periculoſa, ſubinde rerum conditione, magna, & multiplici adverſorum mole ingruente, longanimes, & cunctatores, cumque (id quod noſtro malo hiſce ultimis ſæculis frequentius evenit) civile arderet diſſidium religionis, religioſimos. Qui cælo tanquam demiſſi, exutique omni prorſus terreſtrium cura pacem, atque otium, regna opes, quæque aliis ſolent haberi ſumma neglexerunt; denique & Imperii faſtigium; ſalutem propriam magna in diſcrimina, & extrema pericula conjecerunt.

Ac ſi quando adeo acerba inciderunt tempora, ut humanis, viribus, conſiliisque omnibus jam exhauſtis, iri obviam malo nequiſſet, opportunè admodum, hac ipſa e domo extitere pietate maxima, ſanctiſque moribus excellentes; quique orando avita Numinis ope reſiſtere, imo & pervadere valuere, quod de Ferdinando, altero ab primo, deque Leopoldo,

memoriæ proditum. Quapropter, ſeu conſueta familiæ lege, ſeu naturæ ordine ſic poſtulante, ab Avis, Ataniſque, vel à Parentibus infans indolem eſt mutuatus quoſnam niſi egregios, atque admirandos exprimet mores? Una ſiquidem Mater CHRISTINA ELISABET VvOLFENBUTEL, Decus Heroinarum, Splendor ſæculi maximumque Imperii Lumen, & ornamentum, non ad honores modo, vocata, ac delicias Fortunæ primæ, ſed in curarum, regnique partem, tot inter Regias lecta mulieres, quæ tanto Principi, in tam magno orbis motu ſociaretur, univerſas ei potuit artes tradere Imperiales. Cujus res Cæſare abſente, in Hiſpaniis geſtæ, vel ſolæ Principum clariſſimorum gloriam exæquarunt. Namque, ut omittam quam inauditæ, & Heroicæ, fortitudinis opus dilecto, à viro, ſuique amantiſſimo ſejungi proficiſcente illo in longinquas, magniſque interiectis marium, terrarumque ſpatiis diſſitas regiones, in urbe tantum non oppugnata belli periculis, & obſidionis pro-

pè imminentibus remanere; atque id ob ſolam unius gentis ſalutem, charitate erga ſubditos inaudita. Quis illam neſcit virtute propria, majeſtate, ac conſilio inclinata omnia, & pene deperdita in his regionibus reſtituiſſe; Servata Cardona, pulſis hoſtibus, vim regni ac decus in Terraconenſi retinuiſſe; quodque mirere, non dum pacatis omnino populis, & duabus hinc inde inſtantibus nationibus, Gallo, & Ibero. Interea, atque uno tempore, quam multis, magnis, & potentiſſimis Regnis, atque Provinciis dediſſe leges. Ipſamque Hiſpani non citeriorem, Baleårides, Sardiniam, aliaſque inſulas Inferni Maris, Inſubres, & conterminos, regnumque hoc ampliſſimum, atque ornatiſſimum Neapolitanum immortali laude, ac diutina fælicitate rexiſſe; Sed &, quanta apud exteras gentes opinione valuerit ipſi hoſtes ſatis declararunt, nil uſquam amplius auſi, frequenteſque, ac nobiles, magnorum Principum legationes. Nam quid ego obſequium ſubjectorum, ipſorumque in primis Barcino-

nonenſium memorem ; quippe qui multis preſſi undiqueque malis, & in rerum omnium deſperatione ſola ejus præſentia, ac numine, uſque ſtetere; Quam cum intra menia colerent, divinum veluti quoddam Palladium, nulla pericula nullaſq; horrebant adverſitates, ſe, ſuaque, tutos exiſtimabant. Nec enim refert humanum quiddam, oris decor, ac majeſtas, neque ex communi hac in terris materie, ſed è ſolis radiis accenſo lumine, Lunæque accepto candore efformatam dijudicaretis veneratione, adeo ſimul, & admiratione intuentium animos complet. Quas autem traduces, inque ipſo ſanguine immixtas, virtutes animi, quantumque robur infans acceperit à parente optimo, atque Auguſtiſſimo CAROLO VI. eloqui velle, multo ſanè majus eſt opus, quam quod poſſe aggredi putem; Nulla enim ingenii vis tanta inveniri poteſt, quæ cogitatione, ac mente, univerſas concipere, nedum fando ornare, vel adumbrare poſſit. Cumque udax ſit de his dicere, ſtultum ſilere; duo tan-

tum-

tummodo; eidemque ſumma exequar, fortitudinem, ac fælicitatem, atque id paucis, tantum ut moneam non longè auguria, ac vota petenda ſed quò ſpes hominum niſi conſueverunt, ea domi omnia adeſſe. Et quidem in Principe, qui Fortunas, bona omnium unus, tranquillitatem denique, atque otium tueri debebit, quid laude potius bellica optandum? Quid vi fortunæ magis timendum? Profectò quanti univerſa, aut majora ejus geſta erunt facienda, cujus à parentis aula, ad avita regna profectio, magni iſtac Operis, eſt celebranda. Vaſtiſſima Germaniæ ſpatia confecit, Belgium peragravit. Atque inde freto trajecto luſtravit Brittaniam, perque undas Atlantici, & immanè æquor ſolvens adiit Luſitanos: Superatis mox Herculis faucibus, ac mediterraneo tandem illatus Terraconenſi applicuit litori; Brittannico Gallicoque Oceano, jam peragrato, totaque Hiſpania circumnavigata. Quàm vero regiè à Batavis, à Regina Anglorum, Luſitano ab Rege fuerit exceptus, quibuſvè

vè exultus anxiliis, nemo eſt qui neſciat, aut fari poſſit. Ea namque fuit armorum, virorumque copia excitata, tam ingens extructa claſſis, ut expectatione, & fama tanti apparatus quam plures urbes, munitioneſque receptæ; primo autem adventu, atque impetu quidquid, à Gadibus ad Pyrineos validum, vel communitum, voluntate partim ſe ſe tradentium, fidemque implorantium; vi partim, atque armis in poteſtatem venerit; Nec multo poſt Galli numeroſa claſſe, maritimiſque opibus præpollentes navali prælio ingenti devicti, deque universa maris ejecti poſſeſſione. Quæ de hinc geſta in Iberia conſilio, auſpiciis, ac ductu ejuſdem, omnes omnino gloriæ militaris numeros implevernnt. Nullum etenim belli genus, aut pugnandi ratio inveniri poteſt, quod non exercuerit, atque inde victoriam non reportarit; multa navalia, quamplurima, atque memoranda terreſtribus copiis certamina, equitum peditumque acie commixta; innumera pene agminibus, atque excurſionibus

præ-

prælia; ferro, atque igne, tormentiſque omnigenis eſt concertatum; diſiecta caſtra, expugnatę urbes: Terraconenſis denique, & Bætica armis perdomitæ; quodque omnem ſane exuperat gloriam, non rudi cum milite, aut collecto temere, ſed cum Europæ flore Gallis, & Hiſpanis, atque Italis, numero ipſe inferior eſt conflictatus. Atque id in primis, quam invicti animi, imper territique! Barcinonem ingenti exercitu obſeſſam, valloque circumdatam, vehementiſſimeque oppugnatam velle, & tueri poſſe parva manu, longeque à ſuis, ſine proximioris ſpei auxilii: Vulneribus, labore, ac vigiliis decreſcente in dies præſidio, ac jam propè exhauſto, magnaque muri parte ſubruta, acerrimiſque aggreſſoribus, vi ſumma irrumpere ſatagentibus, durare tamen, magis, magiſque animos tollere; Ignito ingruente imbre miſſilium, majorumque ictibus tormentorum, non deterreri, imo & alacrius urbem diſcurrere, feſſos erigere, ciere audaces, quibuſve in locis prociderant, viamque

ho-

Digitized by Google

hoſtibus ſtraverant munimenta delecto ipſum agmine comitatum accurrere, atque irruentes inde longius abſterrere. Delata tandem Anglica claſſe, ac magno, e montibus Hiſpanorum agmine jam adventante quis poſſet unquam commemorare, impetum eruptionis, quis expugnationem, direptionemque caſtrorum? quis tanti exercitus internecionem victi, ac deleti; qui nanq; ex clade ſupererant, non ante quieſcere, curſumque remittere potuerunt, quam ſe ſe in Gallias recepiſſent. An majus ullum in his regionibus, aut majori uſquam expectatione commiſſum eſt prælium, quam quod Cæſarauguſtæ ante menia pugnatum eſt. Totis, ubi partium, viribus clariſſimi duo Principes, ac bellicoſiſſimi, fortiſſimi duo exercitus contenderunt, cum non unius urbis regni, aut Provinciæ dominatio contenderetur, ſed de innumerabilium pene Europæ, Aphricæ, atque Aſiæ regionum, alteriuſque orbis poſſeſſione dimicarent: An major referri, aut optari inde victoria potuit, quam primo
excurſu,

Digitized by Google

excurſu, adverſantes acies loco movere, obturbare ordines, in fugam convertere, reſiſtentium audaciores ferro obtruncare, alios exutos armis vivos capere; fuit enim illud extremum, tam potens hoſtis relictis caſtris, omnique militari apparatu, totoque exercitu amiſſo diſcederet, ac longo ſatis ſpatio confecto, vix in Cantabria tandem conſiſteret, locique duritie, atque aſperitate ſe tueretur. Ipſe interea nil commoratus, prudenterque uſus fortuna, caput rerum Matritum, regumque ſedem proficiſceretur, totaque ea regione potiretur ad extrema uſque Luſitanorum confinia. Dum autem ex his locis militem gloria, prædaque onuſtum, tot jam bellorum caſibus profectionumq; laboribus feſſum, longèque imminutum reduceret, difficili acquatione, difficiliori pabulatu, rerumque omninum inopia, vaſtatas latè ex induſtria regione, ferociterque Gallis, & Hiſpanis inſtantibus, & in poſtremum agmen ſepe irruentibus; tunc ejus vis animi, nulla jam ſorte minui, vel debilitari, imo & ad-

verſis

verſis veluti exciri, & in majus creſcere viſa eſt; Nam converſa acie aggreſſus multitudine,& viribus prçſtantiores, non eos tantum repreſſit, ſed omnino infregit; ut qui modo alacres inſultabant, afflicti, ac perculſi clade receſſerint, jam quanta in reliquis uſus ſit fortitudine, quis unquam dicendo aſſequetur? Quem non ætatis impetus, laxamenta temporum, principalis Aulæ deliciæ, cunctavè prova emollire; non offenſionum acerbitas, bellorum ſævitia indurare, non ulla vis, aut diſcrimen flectere potuerunt, quin, & in ocio continens, arma inter clemens, ubique pius exiſteret. Quot urbes, Regna, provincias deſciſcentes jam,jamq; perdomitas,a direptione,& excidio,juſtaq; ultione ſubtraxit. Quot perduelles perfidia inſignes, promeritis pænis exemit, ſed & clementer excepit loco, ac fortunis reſtituit. Ingentibus ille defectionibus, difficillimo, & periculoſo tempore provocatus, avitis quoque regnis prohibitus maxima quæque belli diſcrimina, caſuſque expertus; ſi a ubi virtute adver-
ſa

ſa diſiecit, ac proculcavit, perinde atque expetitus, precibuſque advocatus, non leges modo patrias, victis reſtituit, ſed quanta vix dici poteſt largitate in cunctos eſt uſus. Inauditæ ſane virtutis eſt adeo ſontes pro modo, ac parce punire, majoris multo, obliviſci poſſe, ac diſſimulare, quam maxime in gratiam accipere, divinæ vero cujuſdam, naturæ opus eſt cenſendum beneficiis inſuper cumulare. Quanta vero in ipſo fælicitas, tot triumphatæ gentes, & bello domitæ nationes, regnaque docent, aut ultro dedita, juſtis aut armis aſſerta, victi fugatique toties hoſtes, expugnatæ urbes, nulla pene offenſione interruptus rerum ſecundarum curſus, terra, marique omnia, prona, & ſequentia. Quæ ſanè tanta ſunt, adeoque excelſa, quanta non dicam alias ulli unquam regi, vel Imperatori tam brevi, ſed toto vix ævi curſu audivimus, legimuſve obveniſſe, quæque omnes gentes, futuraque ſæcula mirabuntur. Atque id in primis quam feliciſſimum permultas, longeque diſſitas regiones, paucorum ſanè

cur-

curriculo annorum vindicaviſſe, Proque ejus gloria Principes bellicoſiſſimos, relligione, moribus, lingua diverſos, ſimultate nulla vel odio, nec emolumento aliquo adductos, junxiſſe fędera jactura magna, & compendio, equos affatim, pecuniam, milites, & commeatus ſubminiſtraviſſe, & ad extremum uſque perduraviſſe. Aſt quo proventu? Vindelicia, tanta armorum copia redundans, ut non modo Horico, finitimiſque, ſed univerſæ Germaniæ minitaretur, ſub ipſo ſtatim initio belli perdomita. Recepta Helſatia, devictum Belgium, Vindicati Inſubres, aliæque provinciæ Ciſalpinæ. Tota denique ab Alpibus ad Jonium mare luſtrata Italia. In Hiſpania quod erat roboris, urbes maritimæ, munimenta portus, & arces, ac inter alias, longè clariſſimæ cis Iberum flumen poſitæ nationes. Jam Pithuſæ, & utraque Balearidum, atque Sardinia. Clara prętereà opportunitate, & operibus, in Hetruſcorum Ligurumque litore extructa præſidia, regnumque hoc Neapolitanum

Digitized by Google

num, in poteſtatem redacta. In ipſas quoque Gallias latè eſt excurſum, tutiſſimumq; ac celebratiſſimum totius gentis emporium, ac præclara urbs poſita ad mare noſtrum Solone obſeſſa, terraque, & undis petita. Sepius intereà, eius auſpiciis ingentibus copiis, eſt depugnatum, quam totò alias ſæculo relata ubique ex pugna victoria; Expugnationes vero, atque propugnationes munitiſſimarum urbium quis valeat referre? Quis tam multiplici, tam ſævo, ac magno, tam latè diſſito bello, cæſorum numerum, ſtragemq; factam? cum vix exercituum, iniri ratio queat, internicione totiens delectorum ac cum, nil magis optandum, minuſve ſequax Principibus, poſt magna, & egregia edita facinora, ac beneficia in vulgus ſparſa, ut amentur, hunc tamen ab ipſo ſui regni initio, magniſque interiectis ſpatiis longè remotum, jus tantum Regis, & nomen adeptum, univerſi ejus ſubditi, noſtrique ante alios Neapolitani veneratione tanta ſunt proſecuti, cuncta ut fidelitatis, amoris cuncta exem-

pla

pla proponerent; nam licet obſecati portus, viæ omnes clauſæ, nullusq; exteris aditus concederetur, non fortis quicquam, nec domi tutum, verba, oculi vultus obſervarentur, quæcumque tandem in rebus trepidis parumque firmis regnandi ratio ſuadet uſurparentur, quo mentes, & corda à Principe averterentur, remiſſa vectigalia, curata annona, atque ut pacatiora omnia forent cum reis ſceleſtiſque mitius actum, factæque ſæpius impunitates, nec iſta modo per ſpeciem ampla, quæ diſſimulari aliquando, & melioris ſpe, temni conſueverunt, ſed quæ fortiſſimum quemque hominum poſſent, virtute quamvis, & ſapientia ſeptum movere, ſæva judicia, inſectationes, exilia, nulla tamen diritas, non frequens proſcriptis, carcerum cruciatus tormentorumque omne genus, potuit homines, ab obſequio, & fide abſterrere; quin inter ſatellites, & manus carnificum, horrendumque ante mortis aſpectum, invicta virtute animi, imperterrito vultu, & erecto, in acerbitate ſupplicii

ple-

plerique perſtarent; Sed quid ego caſus bellorum, atque hominum geſta commemoro, quæ licet caſus ſæpè conturbet, aliquando tamen virtute, ratione,& conſilio ſæpè reguntur,cum muta, & inanima, ſenſuque carentia in ejus obſequium fuerint compoſita? Quid vento levius?aut minus conſtans? Quid mare mobilius? magiſve timendum? ſed & ipſi fluctus, tempeſtateſque, toto eo tempore, quo ſub dio actum, aut in mediis aquis, de rebus ſummis, non modo nuſquam ſæviſſe, ſed vel hyeme adulta pacati egiſſe mirati fuimus, & intempeſtivè, ac præter conſuetudinem, nec dum apto navibus Oceano, claſſes advectas, lociſq; aſperrimis, e hyberno tempore, exercitus ſtetiſſe in armis, in ſolita Cœli temperie, & ſerenitate. Quid plura? adeo feliciter cuncta evenere, ut neq; id quidem venerationi, noſtræ reliquum ſit, feliciſſimo pro Imperatore ac fortiſſimo vota proferre, quem non modo hoſtes timeant, ſui ament, recolant omnes, ſed elementa pene, ac ſors ipſa revereantur; Neque augurari quid-

Digitized by Google

ri quidquam majus nato Principi, poſſumus, aut debemus, quam quod Parenti Auguſtiſſimo Pietate, Clementia, cæteraque animi indole, & fortuna denique evadat ſimillimus.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google